VITA
BEATISSIMÆ VIRGINIS
MARIAE
DISTINCTA CAPITIBVS AD MEDITANDVM

AVCTORE

P. IO. AVGVSTINO CONFALONERIO
e Societate Iesu Mediolanensi.



MEDIOLANI, ET PANORMI,
Ex Typographia Petri de Isola, M.DC.LXIV.

Imp. Abb. Gel. V. G. Imp. pro Sp. de Dom. F. P. Abbas D. Octauius de Augustino.

AVCTOR
AD BEATAM VIRGINEM.

TIBI post filium tuum redemptorem nostrum, debeo, Sacratissima Virgo, quòd viuam, quòdque in religione sim, vbi benè viuam, si velim; duo enim hæc beneficia mihi à domino Deo præstita sūt sacris diebus, quibus tua Præsentatio, & Purificatio colitur: vt omittam alia pignora illustria, & plurima tuæ erga seruulum beneuolentiæ singularis. Quo in numero illud eximiū est, quòd ab exordio religionis mihi iniecta fuerit ea mens, vt singulis diebus Sabbati caput aliquod ad tuam vitā pertinens meditarer. Quem vsum, cum tuo beneficio perpetuis quadraginta annis retinuerim, tandem, quæ paulatim conceperam, & pio animi sensu degustaueram summatim scribere, meo commodo, & bono, mihi est visum. Legere multi Patres mei familiares, viri omnino docti, & pij, quæ scripseram, me rogāte; cum etiam in meditatione priuata multi possint obrepere errores; siue quòd philautia hominem fallat, sibique ea ratione leuissime placeat, siuè quòd ea, quæ probabilia videntur in hoc genere, cum non omnia extent in Scriptura canonica, aut nitantur traditione aliqua, cordatis viris videantur improbabilia: amice monuere nonnulla, quæ emendaui: opus collaudarunt ita, vt cuperent euulgari. Assensi post multam deliberationem, si forte tibi, Dei mater, & virgo, honoris aliquid ex

mea tenuitate accedat;si tester animum gratum;si prosim fratribus, quibus ex spiritu Societatis labores meos,ac vitam dicaui post Deum. Placet augeri ex officio debitum: placet externo incitari labore,vt interiore animo te vehementius colam.

VITA

VITA BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE

Distincta Capitibus ad meditandum.

MEDITATIO I.

De æterna eius electione.

1 CONSIDERA ex omnibus ideis creaturarum, quæ ab æterno tempore fuerunt in mente Diuina, nullam in donis gratiæ, & gloriæ fuisse præstātiorem idea Sanctissimæ Virginis, cum Deus ita decreuerit, vt illa cæteris puris creaturis excelleret, immo esset veluti exemplar illarum, qua ratione de ea legitur in Prouerbiis Salomonis: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. *Prou.8.*

2 Cogita Dei æternam complacentiam de tali conceptu, & decreto suæ mentis, ducta similitudine ab artificibus, cum intra se conceperint exemplar aliquod eximium perfecti operis.

3 Cogita alium actum Diuinæ mentis: quod tam præstātem creaturam decreuerit Deus sibi eligere in sponsam, vt

mater esset sui filii coæterni,& consubstantialis, & propterea, quia eam elegit ad tam sublimem maternitatem, ac dignitatem, statuit eidem conferre tantam gratiam, tamque excellētem sanctitatem. Vt verò actus elicias congruos tanto mysterio, cogita, cum illud reuelatum fuit Angelis Beatis ab exordio mundi, quam ipsi admirationem conceperint, qua lætitia incesserint, quas laudes Deo persoluerint, qua reuerentia suā Reginam, ac Dominam exceperint.

MEDITATIO II.

De eius Reuelatione facta Sanctis Patribus.

1 Cogita Deum amicis suis Sanctis Patriarchis reuelasse consilium arcanum sui pectoris de orbe illustrando, & consecrando persona excellentissima Sacratissimæ Virginis: vt ipsi propterea mirificè exultarint ea ratione, qua Christus dixit de Abrahamo: Abraham exultauit: vt videret diem meum: & gauisus est.

2 Cogita Sanctos Prophetas accepta eadem reuelatione pulcherrimis figuris adumbrasse Virginem nascituram: & populos excitasse Diuinis præconijs ad eam exoptandam.

3 Cogita iustorum ardentes, coniunctas, & assiduas preces impetrasse à Deo, vt promissum incomparabile munus citius largiretur. Tu vero, vt par est, gratulare Cælo, ac terræ tantum Dei beneficium postea acceptum, ipsiq; Deo gratias immortales agito.

MEDITATIO III.

De eius Immaculata Conceptione.

1 Miraculum fuit ex coniugio senum & sterilium Parentum conceptam fuisse Beatissimam Virginem; hoc indicante Deo, effœta iam, & deficiente natura, se mūdo perdito velle opem afferre. Sed longe maius miraculum, quòd illa conceptio sit perfecta absque vlla culpa originali, diuina gratia, veluti luce clara, illustrante animam, priusquam tenebræ peccati occuparent. Decebat hoc Dei Filium, de quo vni-

uersim

uersim est dictum à Propheta. Domum tuam decet sanctitudo Domine: & quod decebat etiam est perfectum: sic enim legimus apud eumdem Prophetam: Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. *Ps 92.* *Ps 45.*

2 Nihil perfectius illo corpusculo, & illa anima, vt proportio esset cum humanitate assumenda à Verbo æterno, quæ deinceps ex Virgine erat formanda. Sed nihil excellentius gratia, & virtutibus, quibus illa anima in eo articulo suæ creationis fuit illuminata. Hoc illud est Dauidis in Psalmo: Fũdamenta eius in montibus sanctis. quem enim apicem perfectæ virtutis attigere sancti homines, & Angeli in fine suæ viæ, eum sibi statuit Beatissima Virgo initium suæ vitæ. *Ps. 86.*

3 Actiones virtutum, quibus se Domina tota conuertit in Deum eo temporis vestigio, sunt inexplicabiles. Sed, & Beati Angeli, quibus ostensa est adeò perfecta creatura, summam Deo gloriam tribuerunt. Tu quoque Reginæ, Deo, Angelis, omni hominũ generi, mente, ac corde, debita officia exhibe.

MEDITATIO IV.

De eius Natiuitate.

1 QVam gratiã, & habitus virtutũ accepit in conceptione, perpetuo illa auxit in vtero matris rationis vsu, & arbitrij libertate: adeo, vt si Stella fuit in conceptu, Luna, & aurora fuerit in ortu. Quod si primi actus producti ab eius anima perfectione superarunt omnes actus viatorum, vel in cursu extremo; qua intensione virtutum credimus illam operatam esse, cum est nata? Hic admirare, reuerere, contremisce Dei opus.

2 De Christo Domino, cum est ingressus in orbem terræ, ait S. Paulus, Dei Angelos illum adorasse. Hoc idẽ de Dei Matre credi, perquam piè potest etiam si nondum maternitatis mysterium illis fuerit reuelatum. Satis enim eis fuit agnoscere, se illi gratia, & meritis longe esse inferiores. Cumque ipsi futurum mysterium incarnationis diuini Verbi ex Virgine optimè nouissent, opinari potuerunt, hanc illam esse Virginem ex omni æternitate à Deo propterea electam. Tu illam venerare, vt principem inter omnes puras creaturas; atque

vt

vt futuram Dei matrem, teque illi deuotissime dedica.

3 Credibile est, omnibus iustis in limbo infusam fuisse peculiarem eo tempore lætitiam, immo vero & omnibus iustis, qui in terra viuerent. quemadmodum illucescente aurora quodcumque viuentium genus suo modo lætatur: tametsi lætitiæ rationem nulius omnino hominum perciperet. Tu vero, qui probe nosti diuinam lætitiæ causam, concipe animò voluptatem, quam potes maximam: hinc enim tua salus, & generis totius humani exordium habet.

MEDITATIO V.

De eius Præsentatione in Templo.

1 TRiennis ex voto parentum, si prolem habuissent, præsentata fuit in templo, vt ibi viueret cum Virginibus, quæ templo ministrabant. Considera gaudium Virginis, in qua adoleuerat sapientia, cum locum, & cætum cognosceret esse aptissimum, vbi se Deo totam manciparet, nullo vel minimo odore mundi hausto. Hic fuit nobilissimus actus suæ consecrationis ab ortu, & natiuitate; eo perfectior, quo omnia dona sancti Spiritus, & infusæ virtutes in ea grãde incrementum acceperant. Et tu te Deo magis obstringe in vnione huius præsentationis.

2 Distributio, & occupatio temporis, quamdiu ibi vixit, ea fuit, quæ tantam Virginem deceret. Oratio præcipuas sibi vindicabat horas; alias item lectio, & auditio; suas quoque obsequia, & disciplina in artibus muliebribus pro ætate crescente. nam ea, quæ pertinebant ad curam corporis non multo tempore expediebat. Semper vero actioni iuncta erat cõtemplatio. Tunc nostræ horæ benè collocantur, obedientia, & discretione magistra, cum nobis familiaris est Diuina præsentia.

3 Non sibi soli vacabat Domina, sed eius vita magisteriũ erat sodalium, tametsi nihil minus spectaret, quam vt esset magistra. pauca cum effaretur verba, & considerata, habitu, gestu, incessu, obsequio, disciplinæ obseruãtia semper loquẽs, ad omnem virtutem socias accendebat. Tibi, si quidquam aliud, proderit ad perfectam virtutem inspectio diligens, & meditatio eius vitæ assidua.

ME-

MEDITATIO VI.

De eius Desponsatione.

1 VT propter Diuinum conceptum, & partum à nemine traduceretur parauit illi sponsum Deus Beatum Ioseph hum, non modo ex eadem tribu, familiaque, verum etiam persimilem moribus, eumdemque Virginem, & admirandæ sanctitatis virum, ad amorem fortius conciliandum, cuius tantummodo virga floruit ex multis viris, qui sanctissimam Virginem deposcebant; vt indicio esset neminem illi in gratia, & donis Spiritus Sancti fuisse æqualem. Hunc tu dilectum Dei seruum, & præcellentissimum Virginis custodem in omni tua vita reuerenter obserua, atque vnicè cole.

Hieron. Gratia. Carme. lib. 1. de vita S. Ioseph. c. 1. ex S. Ger. Patria. Cōstan. & aliȷs auctor.

2 Certa Beatissima Virgo de suæ virginitatis conseruatione assensit matrimonio, per quam demisse illi se subijciens, quem sibi Deus præfecit Superiorem; tantummodo reuerens eius eximiam Sanctitatem, & mores probatissimos; ad suam vero excellentiam, qua multis partibus illum superabat, minime respiciens. Disce, ò Anima, Dei dona in alijs reuereri, tuasque tantum miserias tibi repræsentare. hoc enim valde confert ad conseruandam, in dies diuinam gratiam.

3 In isto matrimonio contemplabatur Virgo vnionem æterni Verbi futuram cum Sancta Ecclesia, cuius expressam habebat reuelationem, quamque præterea ex Sancta Scriptura aperte didicerat. Mirum proinde est, quàm se se nutibus sponsi in rebus omnibus aptaret; quam sedulo illius voluntatem præueniret, qua reuerentia illius monita, veluti iussa exequeretur, quantaque diligentia domestica omnia munera obiret. Hoc tibi exemplum obedientiæ, reuerentiæ, ac diligentiæ præbet Virgo Beatissima erga regulas tuas, quas putare debes Dei oracula; erga Superiores tuos, qui tibi vice Dei moderantur; erga munera tua, quæ tibi à Deo per homines præfatos imponuntur. nam si per statum religionis matrimonium non contrahis, inis certè quasi contractum venditionis, qua tui arbitrij potestatem in alios transfers.

MEDITATIO VII.

De eius Voto Castitatis.

1 CRedibile est, Mariam iam nuptam suasisse Sponso Votum Castitatis, cuius Angelicam puritatem optimè cognoscebat; quod etiam ambo emiserunt; sed Maria prior. Hic cogita originem amoris erga puritatẽ in Virgine, quæ erat sublimis cognitio Deitatis, & ineffabilis vnionis Personarum in Diuinitate: cui ita dicauit corpus, & animam veluti Tabernaculum, vt omnem excluderet amorem, & humanam coniunctionem, quæ excellentissimam cum Deo vnionem, vel minima ex parte impediret. Licet ad tam eminentem puritatem voto consecrandam eam impulerit Spiritus sanctus vt Tabernaculum Verbo incarnando dignius præpararet.

2 Castitatem, siue propositam, siue sacratam, ita custodiuit, vt in carne viuens, præter carnem viuere videretur. Arbitrum mentis sibi statuebat Deum: membrorum suorum ipsa custos erat, nec vllus vsquam melior: cibum ita sumebat, & somnum, vt mortem arceret, delitias, & commoditates ignoraret: corporis castigationes alias, à Sanctis Fæminis vsurpatas, assumeret: eos solos virorum, cætus inuiseret, quos non erubesceret misericordia, neque verecundia præteriret.

3 Animi puritas emicabat in ore, vt intuentes facile ad eamdem alliceret; petulantium impuritatem, siue virorum, siue fœminarum cohiberet. Magistram habes tui voti, & ducem cuius modestia, & actio, censura tua est.

MEDITATIO VIII.

De Nuntio Archangeli, & conceptu æterni Verbi.

1. FRequentissimæ, ac diuturnæ orationes, & contemplationes Virginis erant de aduentu in terras Filij Dei. Hisce votis cum quadam nocte insisteret solito ardentius, ecce tibi Gabrielem Archangelum specie iuuenis pulcherrimi, qui eam Diuino iussu ita salutauit. Aue gratia plena, Dominus

Luc. 1.

nus tecum benedicta tu in mulieribus. pulchrum est contemplari Angelum, sed longe pulchrius contemplari Mariam. habitus enim corporis, frons, oculi, vultus cœleste quiddã spirant, animum Deo plenum, in quem Angelus ipse intuebatur ea lætitia, humilitate, ac reuerentia, quæ Verbis explicari nullo modo potest.

2 Timuit voluntarie Domina hoc genere salutationis, laudem refugiens, deque altiore aliquo statu coniugali dubitans cum illa verba præcipue, Benedicta tu in mulieribus, quid sublime sonarent ad coniugium pertinens, sed animata, & clare edocta ab Angelo de conceptu, & partu admirando filij Dei, voluit præterea edoceri de voto suo, num forte Deo cordi esset, dispensari: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Hic tu admirare maturitatem, Sapientiam, fidem Virginis adolescentulæ, quæ in tanto negotio tam parce loquitur, mysteriumque perdifficile credit illico, ac certissime in se complendum.

3 Cognita in hoc conceptu, vnam Trinitatem Beatissimam, non hominem vllum, operaturam, Deo creatori, & Angelis expectantibus, responsum edidit fide, humilitate, obedientia, charitatis ardore plenissimum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

4 Vix vltimum sonum verborum ediderat, cum Verbum caro factum est, Trinitate efformante corpus ex purissimo Mariæ sanguine; ipsa eadem creante animam eodem temporis momento, totâque plenitudine gratiæ, & donorũ supernaturalium, veluti fluminis impetu, eam lætificante, Persona autem Verbi corpus, & animam mirabiliter assumente. Quo momento aliqua pars substantiæ Virginis cum fuerit vnita Verbo hypostatice, ipsa mater effecta est sui Creatoris, cum infinita dignitate. Qui tunc fuerint actus Sacratissimæ humanitatis erga singulas personas Diuinitatis, erga Matrem, Angelos, genus humanum vniuersum; qui vicissim Dei Matris, & Angelorum erga illam, morose contemplaberis, exsuscitatis affectibus voluntatis erga easdem personas.

Io. 1.

Suarez. to. 2. in 3 par. dis. 11. sect. 2.

MEDITATIO IX.

De Visitatione Sanctæ Cognatæ Elisabeth.

1 CVm cognouisset Maria ab Angelo, consobrinam suā Elisabeth diuino miraculo concepisse, instincta sācto Spiritu, protinus illam inuisit, diuinitus præsentiens filiū suum nouo fœtui; & parentibus magno bono futurum. Considera igitur primo mentis intentionem purissimam, & præaltam in suscipiendo itinere, tum iter ipsum pluribus diebus ita confectum ad vrbem Hebron sacerdotalem, vt dum Verbum illa gestaret in vtero, à Verbo ipsa gestaretur, ageretur-que; labores non sentiens, incommoda placide excipiens, varietate rerum, locorum, ac personarum mentem ab incluso thesauro nunquam auertens. Sequere euntem, & famulare humillime, gestus, motus, & stationes diligenter obseruans.

Luc.1. 2 Ingressa domum Zachariæ salutauit Elisabeth. Tum vero incarnatum Verbum meritis Sanctissimæ Parentis, conceptum infantem, ita sanctificauit, vt cognita præsentia Saluatoris exultaret in vtero Matris: Elisabeth Spiritu sancto repleuit, mirabili Incarnation s mysterio, & Virginis Maternitate illi reuelata. Ex quo factum est, vt sancta anus se præ lætitia non caperet. Roga, si læta conscientia est, vt arca Dei ad te diuertat ingentem accepturus benedictionem.

3 Audiuit illa quidem suas laudes, sed eas protinus refudit in Deum, mystico hymno edito, Magnificat anima mea Dominum, & in obsequijs Sanctæ Cognatæ perstitit tribus mensibus vsque ad partum infantis. Quantum in omni gratia creuerit parens cum infante toto eo tempore ex tali præsentia, quæ exempla virtutum Dei mater ediderit contemplare attentius ad tuum profectum. Sic tamen, vt qui quotidie celebras, & communicas cum Deo ipso versans tam familiariter, longe à te remoueas impedimenta gratiæ, & actuum tuæ vitæ Christum, quem suscipis, & gestas, tecum esse principium sentias, & ostendas.

MEDITATIO X.

De anxietate Sancti Ioseph propter tumentem vterum Sanctissimę Virginis, deque Virginis quiete, ac silentio.

1 IOseph ex cohabitatione cum Maria, post aliquot menses cum cognouisset, eam habere in vtero, neque sciret esse de Spiritu Sancto, miratus est primo rem nouam, deinde caussam ignorans cœpit affligari; hinc enim meminerat voti emissi à coniuge, & perseuerantem suspiciebat Sanctitatem, inde vero crescentem vterum quotidie cernebat. Ergo confici macie præ mœrore animi, non fari, non dormire, non cibum sumere, non oculos tollere. denique cum esset iustus, & nollet eam traducere voluit occulte dimittere eam, & in remotas abire terras. *Mat.1.*

2 Patebant animo Virginis Sponsi cogitationes turbidæ: neque tamen aperte cognoscens Diuinum beneplacitum pergebat celare mysterium, rem totam Deo suo creatori, ac Domino committens, interim tamen compatiebatur intime, & eo vehementius, quo in dilectione coniugem vincebat. quin etiam magnitudine animi premens altum dolorem, vultum præ se ferebat semper eumdem, placidum videlicet, atque serenum. Est, quod in Sponso imitere de iudicio non præcipitando in difficillimis rebus, diuinæ probationi te humiliter subijciens. Est, quòd in Virgine admirere gratiæ abundantiam, vnde tanta constantia, quies, humilitas, fiducia in tam ancipiti casu, & humanam rationem vincente negotio.

3 Hæc cogitante Iosepho, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, totum edisserens mysterium: quo factum est, vt lætus è somno euigilans, Mariam acciperet coniugem suam. Qui actus vicissim sequuti sint inter Coniuges; qui item ab ipsis profecti sint in Deum, deuota suggeret mens. Tu vero disce in extraordinarijs, arduisque negotijs in Deum consulere diutius, humanæ ne artes, & industriæ adhibendæ sint, an vero omittendæ, aut certe differendæ.

ME-

MEDITATIO XI.

De toto tempore, quo Virgo vterum gestauit.

1 SI Paradisus est vbi Deus est, tota substantia Virginis paradisus erit, quæ Deum vtero gestabat. Corpus omnibus suis partibus harmonicè mouebatur; anima continuis splendoribus illustrabatur: ex anima in corpus mirificæ voluptates diffluebant: in vultu ipso cæleste quid refulgebat: diuina interiora colloquia inter matrem, & filium expressa in Canticis Canticorum, assidue intercedebant. Similitudine iuuaberis animæ puræ, quæ deuotè communicauerit, quid in vultu appareat, quid intus ipsa sentiat.

2 Cogita secundo loco mutuas collocutiones inter Virginem, & sponsum de Verbo incarnato, deque rebus cœlestibus, desideria item mutua illud cernendi oculis, amplexandi, suauiandi; ardentia postremo vota, vt notum faceret Deus in omnibus gentibus salutare suum. Eiusmodi solent esse sermones, & sensus eorum, qui Deo pleni sunt.

3 Tam sublimes de Deo conceptiones, exuberantesque voluptates minime illam ab agendo impediebant. Sedula in opere domestico, & attenta: pondus infantis absque vlla molestia: perfectio in muneribus tanta, vt nihil aliud cogitasse videretur; natura, ars, experientia in rebus æquè minimis, ac nobilibus emineret. O quale decus est viri iusti, qui à Deo agatur eius vbere gratia.

MEDITATIO XII.

De admirando Virginis partu.

1 APpetente iam partu iter longum, frigida tempestate, suscipere coacta est, Cæsaris edicto; à Nazareth in Bethleem, vt ibi profiteretur cum Sponso. corpus peregrinabatur incommodè; animus quiete Deo fruebatur, haud querulis de Principis auaritia, aut ambitione. Tu reuerenter insiste vestigijs, recreatus odore; totoque itinere famulare, plurima

rima

rima capturus documenta paupertatis,humilitatis,castitatis, ac deuotionis.

2 Bethelem cum peruenisset Regina mundi, hospitio exclusa est, vel ab ipsis propinquis, & notis, prædiuitum aduenarum concursu. & frequentia. hanc ipsa rei difficultatem, & inhumanos hominum mores æquo animo excepit, cum Filio patiens in orbis vtilitatẽ: si qua molestia tangebat animum, ea causa erat, quod sua incommoda redundabant in diuinum fœtum. Disce aduersa, & indigna, quæ tibi accidũt nobili cogitatione lenire, & sublimia facere.

3 In speluncam cum se recepisset, quæ erat sub mœnibus vrbis, diuersorium iumentorum, toto se animo collegit ad partum, singulas appellans Diuinas personas; Filium præcipuè ad nascendum inuitans; humillime se se demittens, quod administra esset tanti operis; ardores postremo emittens toto pectore, & ore præ desiderio edendi Saluatorem. Dum hisce occuparetur affectibus peperit filium suum primogenitũ ingenti cum animi voluptate, & incorrupta virginitate. fulgebat facies Virginis, sed vincebatur à splendoribus infantis. Horror te capiat sacer, prius quàm sis delibutus cælestibus gaudijs.

4 Infans natus communi accepto aere, in similiter factam decidit terram, & primam vocem similem omnibus emisit plorans: Angeli susceperunt, Mater excepit, adorauit: Salus sit Deo meo, Regi meo, Nato meo. Post oscula sua, & sponsi, pannis illum inuoluit, lac præbuit vbere de Cœlo pleno, & reclinauit in præsepio: dein prosecuta adorationem, illum vt hominem, obtulit Sanctissimæ Trinitati conceptis verbis, simulque Angelis, & hominum generi: mox Vniuersos mortales illi commendauit: seque ad extremum illi dicauit ancillam ad omnia obsequia, & ad societatem laborum, & dolorum. Pete iam facultatem à Domina salutandi, adorandique tuum Saluatorem, & ea impetrata, enixè obsecra tibi præterea impetret decentes affectus, quibus deinde immoraberis: postremo illi gratias agito de edito Saluatore.

Sap. 4.

MEDITATIO XIII.

De admissione Pastorum.

1 LIcet admoniti Pastores ab Angelo de nato Saluatore in Ciuitate Dauid, & audito concentu militiæ cælestis, gaudio cumulati venerint festinantes, credi tamen potest, illos iam speluncæ proximos, non statim irruisse, perfusos sacro horrore, ad animi nimirum purgationem, quod idem prope legimus accidisse Moysi, cum pergeret ad videndum rubum ardentem, qui non comburebatur: post aliquam igitur moram Virgo, annuit Iosepho: Iosephus vlnis expansis inuitauit, illi ingressi, conspecto decore Virginis, steterunt iterum, & pectore liquescentes, procubuerunt ad eius pedes. illa benigne erectos, ad Filij conspectũ admisit.

2 Orante Virgine pro primitiis credentium, apertus est illis sensus, vt intelligerent mysteria Trinitatis, Incarnationis Verbi, & Virginalis Maternitatis, & dignitatis, & electionis S. Ioseph. Tanti refert post primam vocationem ducem habere, ac magistrum in rebus diuinis.

3 Pasti affatim diuina reuelatione, & corporali præsentia Saluatoris, & Matris. Sanctiq; Ioseph, toto animo, & omnibus sensibus homines simplices (effecti tamen omnibus Mundi Philosophis sapientiores in schola, vili quidem facta schemate, sed cælesti prædita virtute) eruperunt in Dei laudes, quas postea tota regione vulgarunt. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo: & illud maximè: quod tales homines, talibus obsequijs, & delitijs, primi omnium ad Saluatoris Mũdi notitiam fuissent vocati.

MEDITATIO XIV.

De compassione erga Filium propter Circumcisionem, & gaudio propter nomen.

Luc. 2. 1 TAmetsi Virgo sciebat, filium non esse subiectum legi Circumcisionis; prudenter tamen, ac religiosè af-

flata

flata Sancto Spiritu, legem in eo adimpleri voluit. Tu caussas contemplaberis, aliquid inde fructus ex earum consideratione colligens.

2 Nemo ea matre melius potuit assequi dolorem, & ignominiam infantis; vt quæ sciebat, quis esset, qua ratione conceptus, qua corporis constitutione præditus foret. dolorem proinde hausit tantum cum sui depressione, lacrymans vbertim. quantum haurire illa poterat, quæ prærer naturalem consensum amore supernaturali tota in filium abierat: illud ingeminans tacitè, & dolentissimè; En quanti stat Filio Dei mea salus, & salus vniuersæ carnis.

3 Placato Filio post vagitum, vt venerata est ineffabile nomen impositum, ita eius nominis vim percipiens, gratulata est nato suo Maiestatem, & decora; tota conuersa in admirandos affectus Saluatoris, quem cœlum, ac terra adoraret, Infernus contremisceret; vno momento innumera, & grandia perlustrans animo: Sed illud maximè, quod se vellet esse saluam cum tanta dignitate, donis, & gratia. Sequere tu affectus admirationis, lætitiæ, charitatis, & sancti zeli mortalium omnium salutis, exultantis matris, non cursim, vt tibi Saluator gratiam impertiuerit.

MEDITATIO XV.

De admissione Magorum.

1 LEgerat Virgo in Prophetis, venturos esse ex Arabia Reges ad adorandum Saluatorem. Iam è Cælo aduenerant Angeli, ex Iudæa Pastores; exspectabat aduentum gentium: & ecce Stellam, quæ Magos antecedebat, proximi aduentus indicem. Conuersa protinus ad filium: Tu, mi fili, qui trahis, esto illis lux, & incendium. hi fuere apparatus. nam alioqui spelunca cælo erat amplior, & lucétior tali Matre, & Filio, & Virgini, quæ genuerat sapientiam, nihil deerat ad decorum.

Mat. 2. Suar. to. 2. in 3. p S. Th. disp. 15 sect 1. in fine certũ est B. V. vsq ad diem Purif. à loco N. C. non discessisse.

2 Quid simile Magis euenit, quod de Pastoribus est scriptum in primo puncto: nisi quod, qui sublimiores erant in terris sanguinis claritate, sapientia, & opibus ad vocem Do-

Isa 43. mini interiorem confracti sunt, vt cedri libani, breui prece Deiparæ Virginis. Cernere erat, Reges vultu in terram demisso adorare Virgunculam, & puluerem pedum eius lingere: & Rhinocerotas loro infantis ligatos morari ad præsepe eius paratos ad arandum, & confringendas glebas Vallium. Et quidem decere duxit Virgo sapientissima, Reges ita iacere diu prostratos, lacrymis terram rigantes. Magnum Dei donū cordis teneritudo in mysterijs infantiæ Saluatoris, quæ impetratur per Mariam.

Iob. 39.

3 Postea vero erectis obtulit Filium sublatum è præsepio: ad cuius conspectum torrens voluptatis è fonte vitæ in illorum pectora se se infudit: Deumque, Christum, & Redemptorem agnoscentes, iterum procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt illi munera, aurum, Thus, & myrram. Interim Virgo, supra quàm credi possit, lætabatur de Filij honore, & de vocatione gentium: & omnibus terræ populis, qui sedebant in tenebris, gratulabatur, lucem propediem orituram.

MEDITATIO XVI.

De Mariæ purificatione, & Christi præsentatione.

1 CVm abijssent quadraginta dies à partu, iubente lege purificari puerperam, ipsa propter reuerentiam legis, humilitatis amorem, & Filij imitationem, præter alias rationes, tametsi sciebat, legi se non esse subiectam, voluit tamen pergere Ierosolymam purificanda in Templo. Nulla in ea lætitia emigrandi è Spelunca: officia, cum ijs, qui se, Filiumque inuiserant, & benignè habuerant, humanissimè præstita, incredibili sui omnibus desiderio relicto. Neque vero abijt suffarcinata, certatim offerentibus cunctis, quia sat erat diues suo naturali thesauro. In longo itinere consuetæ contemplationes: inter quas illæ prolixæ de humilitate: qua ratione Altissimus se demitteret ad homines; Creator omnium creaturæ subesset; summus legislator, & mundi Redēptor admirandis virtutum exemplis, orbi incognitis, viam sibi ad futuram prædicationem aperiret.

Luc. 2.

2 In templum ingressa, videre sibi visa est, templum ipsum

ipſum, & ornamenta geſtire præ aduentu Dominatoris, & Deſiderati cunctis gentibus: ſubijtque cogitatio illorum tẽporum, cum gloria Domini compleret vniuerſum templum: diſſimulauit tamen modeſtè interiora lumina de Prophetarum expletis oarculis: ſeſeq; totam comparauit ad nouam ſui ſanctificationem in obſeruatione legis, & Filij oblatione. Diſce, quo pacto templa viſites, & in ijs verſeris, qualecunque expleturus officium.

Agge.2.
Mal.c.3

3. Vt Filium obtulit, mirum, quàm ſublimiter menti Filij, ſuam mentem iunxerit, futuram animo præcipiens oblationem in cruce, quam eo tempore holocauſta, & victimæ templi figurabant. mirum, qua charitate, quàm ſignificantibus verbis æterno Patri Filium vnigenitum ſibi datum, ad eius gloriam, & totius humani generis ſalutem, ſeipſam ſimul tradens, dicanſque, obtulerit. Hiſce tu actibus immorare, quantum Deus conceſſerit.

4. Quod Turtures, aut Colnmbas obtulerit loco holocauſti, & legis expiationis, cum agnum commodè non poſſet, apud te fouet amorem paupertatis: Quod quinque ſiclis Filium ex lege redemerit, vtriq; debes infinitis nominibus; Filio, qui tua cauſa ſe totum impendat, minimè templo addictus: Matri, quæ tuo bono illum redemerit. Quòd Simeonis prophetiam audierit imperturbato animo; de gladio doloris ipſius animam aliquando pertranſituro, ipſa te docet, quid à conceptione Filij aſſiduè verſaret in pectore, ſciens Scripturas, & animæ Filij conglutinatam habens animam ſuam. Quòd denique miraretur ſuper ijs, quæ à Simeone magnificè prædicabantur de Filio, quamuis illi omnia forent notiſſima, Virginis indicat excellentem cum religione ſapientiam, qua diuina, & profunda de Chriſto myſteria, ſupra omnem humanam virtutem, & captum, æſtimabat, & & reuerebatur, vt par erat. Quo loco petas humillimè à Virgine, vt fidei myſteria dum conſideras, & tractas; per eam tibi cæleſte lumen affulgeat, vt videns cognoſcas, & audiens, aut legens, aut etiam miniſtrans, corde tuo intelligas, & Deũ in ijs adores, & deguſtes.

MEDITATIO XVII.

De fuga in Aegiptum.

Mat.2. 1 NOctu quiescebat Domina cum Iesu infante, cum illi renunciat Ioseph, quæ accepisset ab Angelo, vtpotè vir, & caput uxoris; illa adorato Deo, & composito infante, protinus adornauit fugam. Nesciremus vnionem Virginis cum Deo ex iugi contemplatione, nisi inciderent repentini casus, qui eius incredibilem animi quietem indicarent. Nox erat intempesta; tenerrimus erat infans, anxius erat sponsus; omnia incommoda ad iter, fama periclitabatur apud vicinos; barbara erat Prouincia; ignota via, terminus ignotior; illa tamen facta ad nutum Dei, quasi sine sensu esset, nulla commouebatur animi perturbatione. Hic fructus est diuturnæ orationis, diuturnæ mortificationis, vt neque læta efferant, neque aduersa deijciant.

2 Dum fugeret, multa contemplabatur in Verbo humanato, quod circumferebat: diuinam, & incomprehensam dispensationem: quòd Dei Filius exul cum exulibus factus certum locum non haberet in terris; quod infans adhuc, iustorum, quas passi erant, quasque erant passuri persecutiones, in se ipso experiri vellet; quod inde fortitudo ad iustos, dona emanassent, deincepsq; essent emanatura ad incrementum illorum iustitiæ; & coronæ. compatiebatur tamen spõso, & infanti de grauibus incommodis duodecim dierum, cum altero colloquens de Diuinæ prouidentiæ effectis alteri inseruiendo, qua poterat meliore ratione. Et vero viri contemplationis facile animum à suis incommodis abstrahunt, vt prospiciant alienis.

Multi Auctc. apud Suar. to.2.in 3.p.disp.17. sect.1. 3. Submittebantur tamen à Deo solatia: Angelus subinde apparens; commonstrans iter, & prouidens: idola Aegyptiorum, qua erat transitus corruentia: ora dęmoniorum obstructa, & qua prospectus erat siue ad montes, siue ad solitudines, siue ad campos aquarum abbundantia irriguos, commoda loca scripturarum se se illi aperientia; totam enim Aegyptum fore aliquando choris, & ordinibus Sanctorum refer-

refertam, cum eam Dei Filius iam perambularet, euerſumq; iri omnem ſuperſtitionem, & dæmonum cultum, ex Prophetarum oraculis animo præſagiebat. Diſce Deo fidere in aduerſis, vt Virginis exemplo ſuggas mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: ſi tamen prius ſenſa cæleſtis animi degustaueris.

MEDITATIO XVIII.

De toto eo tempore, quo Beata Virgo fuit in Aegypto.

1 TAmetſi B. Virgo ſolitudinis amans, & ſui theſauri cuſtos domi ſe continebat, non erat tamen ignota Aegiptijs viris, fœminiſque, qui vtebantur operis S. Ioſephi, & ipſius etiam artificio Virginis, qui, vti pauperes, labore manuum victum quærebant. hinc quidā cæleſtes radij à Virgine, & infante in pectora incolarum, quibus, cum adderentur, pro diſcretione ſpirituum, verba ſapientiæ plena, profecta à Virgine, homines trahebantur ad veri Dei cognitionē, & amorem; hoc munus eſt amantiū Ieſum, vt captent vbiq; occaſiones ſalutis animarum; ſic tamen, vt vita, moreſq; primo loco illiciant, hocque fine propoſito, offendicula caueant.

2 In vſu ipſo nihil in Virgine humile, nihil ſordidū, vt ingemiſceret ſuo exilio, vt cōquereretur pro ſolitudine, vt pro ſuppetijs ineſcaret homines: ſed memor, ſe eſſe Dei ancillam in eo ſtatu, poſtquam Dei Verbo, quod procedebat de ore Dei, excelſo animo humana deſpiciebat. quod ipſum rapiebat Aegyptios in admirationem, intermicantibus gratiæ luminibus, quæ ipſi os, habitumq; Virginis contuentes, ſubobſcurè cernebant. Habet Chriſti operarius, & Euangelij preco, quod imitetur, degens apud ignotas gentes, vel etiā barbaras in ſumma pauperie.

3 Legebat in Diuinis Libris Patriarcharum, & iuſtorum hominum vitam, ſummoſque labores, qui peregrini fuerant in Aegypto: familiarem, quam habuerant conſuetudinem cum Deo; Diuinæ prouidentiæ, & protectionis argumenta: ſe ſeque agnoſcens, non modo antiqui generis, verum etiam vir-

virtutis hæredem, pro rerum varietate, sublimia apud se cum Deo agitabat, maximè vero recreabatur verbis, & moribus filioli, quicum miscere colloquia, crescente iam ætate, suauissime poterat. Quot nobis, & quanta omni loco, & tempore, nisi peruersus amor obscuret mentem, & sensum cordis auferat, subministrantur ad virtutem auxilia!

MEDITATIO XIX.

De Filij amissione in Templo.

Luc. 2.
Mat. 2.

1 REuersa Nazareth ex Aegypto, Angelico monitu, cũ iret singulis annis Ierosolymam cum Filio in die solemni Paschæ ex animi sui religione (nam fœminæ non erant legi subiectæ) factum est, vt redeunte illa, & Iosepho, Iesus iam duodennis remaneret in Ierusalem, inscijs de remansione parentibus. Videas, totam vitam Sanctissimæ Virginis vicissitudine rerum iucundarum, & tristium esse temperatam, si percurras, intelliges; Hoc vero anno, quo spectauit in Filio normam, ad quam efformarentur pueri perfecti iudicij, quo anno multa præcipua aduertit ab eo fieri, & maximè in templo, quæ summam religionem eius animo dignam indicarēt, excellens cumulatæ lætitiæ argumentum, tam charo Filiio de repente priuatur. Si munera diuina, & bona in te fluunt, memento tibi esse commodata, non tradita: Sicque illis vtere, vt semper timeas.

2 Quo primum loco, & tempore remisit sponsum, neque vidit Filium, vterque existimauit illum esse in comitatu, idest cum notis, & cognatis iunctum, pone sequi: at vbi abijt prima dies, & Filijs non comparuit, tunc in pectore matris erupere dolores. Primus actus Virginis fuit profundissima humilitas; Tu me probas, Pater cælestis; ecce ancillam. Secundus fuit prudentiæ de rationibus inueniendi filij. tertius certæ spei, quartus compassionis. concipiebat enim, Verbum Diuinum seruaturum quidem esse illam humanitatem, sed tamen fore, vt filius se tanquam vnum è populo præstaret: proinde plurima incommoda passurum, deficiente cura parentũ: hinc dolor vehemens: quem tacita premens in reditu, defe-

ctum

ctum rerum omnium, quem experiri volebat Christus, animum referens ad egestatem, angustias iustorum præteritas, & futuras, contemplabatur. Intuere in vultum Virginis pallentem, mœstosq; oculos, & ex eis conijce animi dolorem: attendensq; quid te deceat facere difficillimis temporibus, sentientem, quidem ærumnas, & destitutionem, sed non deiectum ac perditum, hoc est dolete cum decoro, ac virtute, exemplo Virginis.

3 Cum pergeret quærens in vicis, & compitis Ierusalem, sciscitareturq; ex cognatis, & notis, neq; vestigium filij reperiret, exiguum admodum cibi, & somni capiens, illud versabat animo: Et Abraham Pater noster perrexit viam trium dierum immolaturus Filium vnigenitum, altera manu ignē, altera ensem præferens, suspenso semper animo. Quid modo patitur filius meus cum illi sint explorata sensa animi mei? Si me ancillam suam ita accipit Deus, cui circumscriptam fortitudinem, & charitatem infudit, quid faciet cum humanitate filij sui, cui gratiam, & virtutes ad mensuram non dedit? Erunt igitur, & dolores eius in omni vita, absq; vlla mensura. Huiusmodi te muni præparationibus ad imitationem Virginis, pro quouis tempore tentationis. pete deinde à Domino Iesu, vt tibi impertiat affectum suæ Matris, quo & dolores eius in te transferas, & omne passionum genus, quo te experiri continget, cum ea coniungas. *Gen. 22.*

MEDITATIO XX.

De Filij inuentione in Templo.

1 POst triduum, diligentia nunquam intermissa, Maria, & Ioseph inuenerunt Iesum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, & videntes, admirati sunt. Exortus est denuo Sol, qui occiderat, ad aspectum Filij; superauit lætitia dolorem: confirmata est Mater in sententia, consilio, & prudentia, factam esse illam subtractionem, non autem quod Filius voluisset aberrare, vt fere solent reliqui pueri. Mirati sunt etiam parentes rem nouam, & inopinatam, quod Christus sedens cum Doctori- *Luc. 2.* *Vid. Toletum.*

bus

bus disputaret. Credibile est, ingentem fuisse concursũ omnium ordinum ad rem inauditam, quòd puer, qui nihil aliud præseferebat, quam hominem, Doctores ipsos sua prudentia in interrogando, & respondendo stupore teneret defixos: ad eum concursum accessisse parentes; rogasse, cognouisseque Filium. Habes vnde gratuleris Matri magno cum sensu voluptatis: multa enim in aspectu Filij excitabant lætitiam. Post gratulationem vero habes documentum humilitatis, quidquid enim gloriosum erat in ea re, ipsa totum Deo ascribebat.

2 Et dixit Mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Attende animum heroicum in Virgine, quæ ita potuit capere summã lætitiam, vt ea tamen non exundaret, tranquillitatem animi perturbans. Potuit igitur, ratione dictante, causã ex eo quærere subtractionis, quã sciebat esse plenã misterij. Huiusmodi animi quietem, aut potius imperium in partem appetentem, experiri non possunt in omnibus euentibus, qui cum Deo non ambulant.

3 Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse? & ipsi non intellexerunt verbum, quod locutũ est ad eos. Subobscurè explicauit mysterium, quod suo tempore perfectè intelligerent parentes, non enim est viatoris, tametsi perfectissimi, qualis erat mater, omnia assequi, quæ diuinæ continent litteræ, quæq; priuatim loquitur Deus. In actionibus priuatis subiectus volebat esse Christus: in communibus nõ item, quæ pertinerent ad gloriam Patris, & hominum salutem. hoc non planè intellexit Mater eo tempore, sed absolutè postea, interim acquiescens modestè. Esto contentus tuis donis; ne cuiquam inuideas. nec vero improbè niti velis, vt scias, simul sanitatem perdens, & interiorem quietem.

MEDITATIO XXI.

De tempore familiariter traducto cum Filio ante prædicationem.

1 DOmina exemplo Filij, in quem perpetuo intuebatur, erat subdita viro, qua in re considera, illam peni-

tus exuisse propriam voluntatem, ac iudicium, deinde nihil solitam fuisse facere ex arbitrio; nulla, quod in se erat, vsam fuisse potestate: postea curasse diligenter obedientiæ conditiones, promptitudinem, humilitatem, diligentiam, hilaritatem, constantiam: deniq; indifferentiam seruasse etiam circa res bonas, seq; totam permisisse viri arbitrio, quem Dominum suum appellabat. Ad extremum gessisse se, vt famulam cogitantem assidue, quanto interuallo in obedientia, & humilitate superaretur à Filio. Si Fides viget, ministeria Dominæ talibus instructa cogitationibus, neq; vetusta sunt, nec procul dissita; vt tibi sit propositum quod exprimas in tua obedientia.

2 Ministrabat Filio maiore semper cum reuerentia, quàm soleat Sacerdos, qua primum die sacrificat, familiaritas reuerentiam augebat. Hinc tu ipse renoua officia religionis, tã quæ ad animum, quam, quæ ad corpus pertinent erga Deum, resq; diuinas.

3 Ita curabat domestica, nullo vtens famulatu, vt pauper domuncula nitore, & ordine regijs non concederet: neq; tamen propterea destinata orandi spatia prætermitteret. Fabrum agebant Sponsus, & Filius, & ipsa quoque suum pensum quotidie varia arte conficiebat ad subleuandam domus inopiam: neque infrequentia erant pietatis officia cum externis pauperibus. At vero cum orabat Regina mundi, quæ tum mortalibus ignota erat, maxima cum Verbo negotia transigebat. Admirabantur Angeli, & reuerebantur. tu quoque demisse reuerere, & quæ sunt imitanda, sedulo cura, ad te transferre.

MEDITATIO XXII.

De nuptijs Cana Galileæ:

1 INuitata Mater Domini ad Nuptias consanguineorum, qua erat humanitate prædita, & humilitate, eo se transtulit, diem præueniens nuptiarum, quasi præstitura auxilium in ministerio, vitam omnino communem traducens, quam viderat, elegisse Filium, omne hominem genus, vt ea ratione

In vita fuisse ait S. Chrysost. ho. 20. in Ioa.

facilius ad se traheret: quamquam in filio, & matre lumina, & exemplaria effulgerent omnis virtutis, cuique statui consentaneæ.

2 Discumbebat cum filio in honesto loco, cum de vini defectu monita ab vno ministrorum, submissa voce rogauit Filium, honori vt hospitum consuleret, illa tantum effata, Vinum non habent. quod facit Domina iugiter de suis famulis solicita, in verbo intuens, deesse singulis quandoq; ac sæpè vinum consolationis.

3 Matri respondit Christus: Quid mihi, & tibi est Mulier? nondum venit hora mea. Ex gentis vsu, ac linguæ matrē appellans mulierem, quæ flos Virginum erat: vocem alterius efferens, vt accumbentes scirent, qui aduerterant submurmurasse matrem, conspecto protinus miraculo, illum in ijs operibus, quæ ad Deum spectarent, & humanam salutem attingerent, quorum causa venerat, & conuersabatur, non hominum voluntatem, aut humana obsequia, sed Dei respicere decretum, quo sibi eadem voluntate, qua Pater, tempus, & locum ex omni æternitate constituerat omnium actionum; vt eas ipsas actiones, ac tempora suæ humanitati susceptæ, in ipso vnionis articulo reuelauerat.

4 Ex verbis Filij diuinitus illustrata Mater, cognouit æternum decretum ea conditione esse sancitum, vt posset tempus miraculorum præuerti, & succidi, si ipsa orasset: & rationem diuini operis edocta, ac cito eodem ministro: Quodcunque, ait, dixerit vobis, facite; qui protinus rem operosam multis de causis perfecerunt. Christusq; Dominus imperio suæ voluntatis, magnam eam aquæ vim in optimum vinum mutauit, manifestauitq; gloriam suam. Vide, quænam illa sit, quæ rogat: est enim ea persona, quæ affinitate attingit Deum: vt non mireris, si tanta potest: si ad eius voluntatem, & se demittit Creator ad homines, & homines adeo promptæ munia expediunt difficilia; & cætus ille omnis conuiuarum tam grandem haurit ex beneficio voluptatem.

et colligitur ex sex Diž ab ea præuentum putat Tol. nō improbabile.

S. Amb se. 16 in Ps. 118. Cyr. l. 2. cap. 33. Chry. ho. 21. affirmant ob preces Matris Christū citiꝰ hoc patrasse miraculum.

ME-

MEDITATIO XXIII.

De tempore prædicationis Christi.

1 INchoaturus Dei Filius magnum opus prædicationis, de quo plurima significauerat Virgini Matri, scripturas illi coram exponens, humillimè ei gratias egit de obsequijs, commendauitq; diligentissime, vt suis precibus iuuaret procurationem humanæ salutis. Quid illa tum egerit, quid responderit, mature, ac pie considerabis, decerpto inde ad tuã vtilitatem aliquo fructu.

2 Mortuus cum esset eo tempore Sponsus, libera magis à cura domestica, totam se dedit orationibus, ieiunijs, ac vigilijs, probè intelligens, quanti Deus faceret animas; quanti momenti res esset cooperari Deo ad earum salutem: sibi vero quotidie labores, & afflictationes Filij proponens, ardentius se se ad charitatem, & varia pœnarum genera incitabat; eam tamen regente diuino Spiritu. Vide, quæ media, quas virtutes Euangelici operarij laboribus cum obedientia adiũgas. Sint tibi Christus; & Maria, tanquam ardentes geminæ fornaces.

3 Euangelistæ referunt, eam aliquando secutam esse turbam, quæ confluxerat ad Christi prædicationem. credibile est eam id factitasse quoties honestè potuit; crebroque non solum audisse Filium, sed eius etiam spectasse miracula. Cogita, illam habuisse aures ad audiendum, & cor ad intelligẽdum: audisse verbum Dei, & custodisse. Qualis animi cibus ex sermone, & opere Filij? Aliquando extollens vocem quædam mulier de turba, dixit Christo. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. huiusce generis acclamationes sæpiùs audiebat Virgo Beatissima, nec tamen inflabatur. Ergo post admirationem, & gaudium roga Dominam, tecum vt partiatur animi sui sensa. multa enim legis, & quasi spectas Cælestia, & diuina consignata sacris litteris; multa, itẽ ab alijs audis de rebus tuis. Ad genus vtrumque tibi sunt necessaria dona tuæ Matris.

Mat. 12. Mar 3. Luc. 8.

Luc. 11.

MEDITATIO XXIV.

De tempore Passionis Christi ante crucifixionem.

1 ERat B. Virgo Ierosolymis propter Festum solemne Paschatis; cum audiuit amantissimum Filium ab ingēti turba satellitum, duce Iuda, proditore, & comitantibus Principibus populi, fuisse captum. persensit illico, venisse horam eius, qua transiret ex hoc mundo ad Patrem, implendaque esse omnia, quæ à Prophetis de eo scripta erant. totam se igitur collegit, vt quam proximè Filij passionibus cōmunicaret, seque cum eo in holocaustum æterno Patri offerret. Peruade ad cor Virginis, eiusque admirare eximiam charitatem, & animi altitudinem. tum vero ad te respiciens, intellige, quo animo excipienda sint tristia, quæ, vel te vnum tangunt, vel Sanctæ Ecclesiæ corpus vniuersum, aut membra præcipua.

2 Cernens æternus Pater, Filium suum in potestate acerbissimorum hostium, & solitudine amicorum omnium, sociam illi destinauit dolorum Matrem dilectissimam. Ergo per internuntium Gabrielem Archangelum, vt pie credi potest, singulos actus funestæ tragediæ ei curabat deferendos. Hic tu recogita, quæ scripta sunt, quæq; non scripta ab Euāgelistis spectasse Matrem, audiuisse, sensisse: non vnum Simeonis gladium, sed plurimos, quot erant passiones Filij, illius animam pertransijsse: solam ex omni hominum genere vim cruciatum, indignitatem contumelrarum animo cōprehendisse: materiam illius passionibus timoris, & tristitiæ, quantam voluntariè admittere posset, à Deo Patre exhibitā, esse materiam illius virtutibus, quæ summe erant post Christi virtutes tributam esse, quantum se posset eius deprimere humilitas: quantum posset fortitudo pati, quantum posset amplecti charitas, quæ facit, vt anima transeat in amatum. Habes oceanum, in quem te immergas. Compatere prius, ac deinde cogita, quantum debeas Dei Matri, quæ tot, ac tantas pœnas contulit ad tuam salutem.

3 Tandem exiuit domo, vt oculis spectaret Filium, crucem

cem humeris gestantem: Vt Verbum sustentabat assumptam humanitatem, ne primis gressibus succumberet moli incumbenti totius perditi orbis, laceros cum haberet artus, attritosq; animum vero tristitia pœne absorptum; ita idem verbum fulciuit Matrem, præsentiam vt talem Filij haurire posset. Recepit Veronica in linteo, Saluatoris patientis, & deformati effigiem, dum eius vultum, miserans, absterfit: recepit Mater toto corpore, & animo viuam, ac sentientem Filij imaginem, quem diuina iustitia extrema vi, ac seueritate percusserat. Stetit, excepit, superstes nobis fuit. Cerne pallorem, ac lacrymas, notasque corporis, decoros illos quidem, sed tamen omni commiseratione dignos, & quoniam, progrediente Christo, Maria insequitur, torrente iugiter dolorum excrescente, tu vtrumq; sequere, vestigia legens, alterius quidem sanguine cruentata, alterius verò imbre lacrymarum madentia.

MEDITATIO XXV.

De spectaculo Crucifixionis.

1 CVm euasisset in montem dolens Mater, potuit quidē exaudire ictus carnificum configentium Filium, sed nudum cernere, atque prostratum cum ijs omnibus, quæ corpori acciderunt, præ turba non potuit. aderat tamen animo, & vicem filij subibat. Collidebantur in vtero Rebeccæ gemini infantes, vnde illa tormina sentiebat: quo circa dixit lamentabili voce: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Longè acerbiores erant cruciatus Mariæ, Christo confixa cruci; & alte ingemiscens: Quot partibus dolor secundi partus lætitiam superat prioris. Tam excelso Filio honorauit me Pater, vt ille postea tale mundi piaculum foret: Paulo ante dixit hic meus Filius, venturos dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuernnt, & vbera, quæ non lactauerunt: si meum statum mundus assequi posset, hoc mihi carmen lugubre concinerent. Deficienteq; prope anima præ dolore, Iesum, vt altera Rachel, nouo nomine appellauit, pro eo tempore, Benoni, idest Filius doloris

Gen. 25

Luc. 23

Gen.35. ris mei. Dicito tu, mea anima. Patri æterno: Clementissime Pater da siceram mærenti, vinum ei, quæ amaro est corde: nam si spectare pergat extremum actum Filij, verendum est, ne, & ipsa vna cum Filio Spiritum emittat.

2 Sustulerunt milites filium iam crucifixum. Dolor, licet grauissimus, minimè deiecerat mentem de sede, aut hebetauerat sua acerbitate sensus. Deum si nosse vis, Mariam contemplare. Ex ijs verbis, quæ effatus est Christus; dum è cruce Mat.27. penderet, illa fuere pene extrema. Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? quibus indicauit, se venisse in altitudinem maris, & à tempestate fuisse demersum, tam multa, tam grãdia animo sustinere, ac corpore, ac si eius natura destruenda foret: & tamen cum se adeò viribus destitutum ostenderet, clamauit voce magna, inquit Euangelista, ea verba enunciãs. Infinita scilicet Dei potentia, quæ atterebat sua vi propter scelera hominum, humanitatem filij sui, eam sustentabat, vt ferre posset diuinæ iræ furorem. Eodem modo de matre editum erat oraculum, Magna est velut mare contritio tua (spectabat nimirũ Filium dira patientem, & instar materiæ mol-Thre.2. lis tota substantia sua recipiebat signaculum) & tamen de Io. 19. ea scripsit Io. Stabat autem iuxta crucem Iesu Maria Mater eius. Sagittæ potentis acutæ, numero infinitæ, temperatæ carbonibus desolatorijs, transuerberabant Mariam, & tamen stabat. In nobis summus dolor retundit minorem, vnusque trudit alium; Maria cum arce mentis dominaretur omnibus animi motibus, ac sensibus corporis, illos ita regebat, & vegetabat cælesti dono, vt propemodum infinitos cruciatus exciperet, neque tamen deficeret. Vt hoc cognoscas, labor est ante te, donec intres in Sanctuarium Dei, & intelligas in nouissimis eius. Interim si paruulus fueris, si petas, si quæras, si pulses, aliquid consequeris; modo inuitatione adhæreas virtutibus Matris.

2.Co.5. 3 Stetit tribus horis contemplans id, quod postea scripsit Paulus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Verba Filij audiebat, animi sensa explorabat; solutionem debiti, quo mundus erat obstrictus, pensabat: cernebat deleri, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, dilaceratumque affigi cruci: intuebatur expoliari principatus, & potestates

ſtates traduci confidenter, vinctoſq; præparari ad triumphum Filij. Spectabat eum, qui in oculis hominum reus videbatur, & cum ſumma ignominia pœnas luere, illo ipſo tempore in throno ſedentem, iudicare iuſtitiam. Hi erant ſplendores illius mentis in denſa triſtitiæ caligine micantes. Et tu diligēter attende, quæ Mater contemplatur. quod enim Chriſtus tranſigit, tuum negotium eſt: tale vero negotium, vt Paulus flecteret genua ſua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt poſsemus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. *Eph. 3.*

4 Proximus erat Ieſus, vt traderet ſpiritum, cum videns Matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dixit Matri ſuæ: Mulier Ecce filius tuus, deinde dixit diſcipulo. Ecce Mater tua. Ad eas voces mater: Si abis, o fili, & me tecum ducito: quæ permutatio? quod ſolatium? fili mi, fili. vt quid derelinquis me? admiſit tamen legatum, dixitque filio. Non quod ego volo, ſed quod tu: fiat voluntas tua, Et ex illa hora, vt eam accepit diſcipulus in ſuam (curam videlicet, & officia) ita ipſa ſibi adoptauit diſcipulum, & cum diſcipulo, quotquot erant per filij paſſionem prædordinati ad vitam. Quantū ex illa commendatione gratia, & virtutes diſcipuli accepere incrementum! Vide vt perſentiſcas, Matris hanc diuitem adoptionem ad te deriuari: rogaq; enixe, atque humillime, vt ità fiat.

Io. 19. *S. Ber. ſer. 1.* *S Aug. tr. 119. in Ioa. tom. 9. Tolet. in Ioa. 19. in ea verba Ecce mater tua.*

MEDITATIO XXVI.

De geſtis poſt mortem, & ſepulturam.

1 DEpoſitum de Cruce Chriſti corpus prima omnium excepit mater: in quo cum quiſq; cerneret: à planta pedis, vſq; ad verticem capitis non eſſe ſanitatem, efficiebat tamen amor, vt ipſa ſingula vulnera, liuores, & plagas hiantes rimaretur attētius, ex aſpectu fędo dolores filij conijciens, miſere ipſa denuo conuulneraretur, diſtraheraturq; Hic tu occupa ſenſus, defixus in mortuo corpore, defixus in Matre ſemimortua, fructum paulatim pro tua anima colligens.

2 Sepulto filio, domi ſe continens in veſte pulla, cū nullo

mo-

momento temporis eius obliteraret memoriã patientis, aut mortui, cieretq; animo rem omnem creatã ad funus sui creatoris; in oculis tamen familiæ, quam habere poterat, quam cogere satagebat, miram præseferebat constantiam, & fortitudinem: inuitabat ad cibum, quem & ipsa sumebat; spe resurrectionis proximæ animabat; verba, & promissiones viuentis filij de suo reditu ad vitam, omnibus ingerebat; hisce rationibus, tametsi tristes animos demulceret, singulosque traheret in sui admirationem, eos tamen ad spem resurrectionis omnino excitare non poterat, quod erat illi vulnus acerbum pectoris. Habes quod admirere, cuius imitationem exoptes, cuius etiam caussa miserearis.

3 Sola cum esset in conclaui, partim habenas lacrymis laxabat, iusta persoluens nato amantissimo; partim scripturas recolens, quæ infra terram anima filij gerebat vnita diuinitati, secum ipsa agitabat; admirabaturq; diuinas perfectiones, quæ passionis tempore videbantur consopitæ. Si tuæ menti lux affulget clarior, post Matris commiserationem sequi potes per infernos specus animam Christi fulgentem; alios quidem beantem libertate donatos, alios vero perterritos durioribus vinculis astringentem: prægustataque spe resurrectionis, beatos Angelos Mariam inuisentes, solantesq; contemplaberis.

MEDITATIO XXVII.

De gaudio Beatissimæ Matris ex gloriosa Resurrectione, & apparitione Filij.

1 PRoximum erat, vt diffugerent tenebræ nocturnæ Sabbati, cum Maria mente percurrens diuina oracula de resurrectione Filij, hæsit in eo versu Psalmi Dauidici. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo. Protinus ergo conuersa facie ad orientem læta expectabat amantissimum Filium: & ecce tibi nouum, & fulgentem Solem cum salutatione melliflua. Aue Mater. Cui illa tantum: Fili. Inde suauissimi amplexus, & obtutus. Qua in re cogita primo, depulsum esse penitus languorem corporis, tristitiáq; mentis;

Ps. 56.

C

mentis; deinde illam lucem animo infusam, cuius nunquam antea experta erat similem; vt magna cum dispensatione in Filio illa cerneret, quæ consueta lege concedi viatoribus nequaquam solent: postremò torrentem voluptatis à fonte vitæ in eius pectus defluxisse, sic, vt supra multitudinem dolorum suorum in corde suo, consolationes diuinæ lætificauerint animam eius.

2 Consederunt ambo: Filius Matrem intuens illi continuo lætiores afflabat honores, complebat eius mentem clariore luce, & pectus gaudio cumulabat; gratias ei agens quã maximas de societate dolorũ, de luctu, ærumnis, perpetuoq; solatio carissimorum pignorum: Mater filium contrectans, & osculans persanatum, multa rogitabat de acriore acerbitate præteritorum dolorum, de gestis ab eo in regionibus infernis, de spolijs opimis tartaro ereptis: quæ omnia celerius mente agitabantur, quàm voce.

3 Restabat, vt illi se se offerrent agmina illa beata, quæ triumphatorem stipabant, quocumq; ipse pergeret, præda nobilissima de hoste profligato; quod & factum est cum ingenti lætitia, & gratulatione Matris, cum inexplicabili demissione, ac reuerentia felicissimæ illius multitudinis. Fructus ex singulis gloriosæ huius actionis partibus ille erit, vt sensus primum pascas, qua Saluatorem, qua Matrem contemplans; deinde à specie exteriore ad interiorem animi statum peruadas, vbi fons deriuatus amoris, lætitiæ, beatitis, luminis: postremo in ipsum diuinitatis pelagus, pro mensura donorum, te immergas: vnde amplissima bonorum flumina in gloriosam Christi humanitatem, sanctissimamq; Matrem Virginem emanent. ita scintillæ diuini amoris, cœlestiumq; bonorum, spei fiduciæq; paulatim erumpent.

MEDITATIO XXVIII.

De gestis à B. Virgine totis quadraginta diebus à Resurrectione Filij ad Ascensionem.

1 VT Christus prõpto, & copioso charitatis officio mœstis discipulis, ac mulieribus apparens primo est

ſingulos conſolatus,aut reſtitutis,aut auctis ſupernaturalibus donis; ſubinde vero ſe viſendum præbens,altiora illis chariſmata tribuit: ita ipſi lætitia exundantes ad Mariam feſtinabant, nouum cum ea Paſcha celebrantes, arcana ei gaudia cum mira cordis ſimplicitate pandentes. Multa hic habes capita meditationis, Mariæ lætitiam propter diuinitatem filij admirabilia præſtantem; eiuſdem animi exultationem propter nouæ Eccleſiæ incrementa, & decora; denique eiuſdem incredibilem modeſtiam, quæ tot filijs patris, tam præſtantibus, omnium ſe ancillam humillime præberet.

2 Chriſtus, qui loquebatur cum diſcipulis de regno Dei, crebrius cum matre colloquens, illi eadem ipſa, atque adeo ſublimiora, & ampliora explicabat. Hinc flammæ ardentiores charitatis in Deum: hinc pro humani generis bono efficaciſſimæ preces. Poſtquam luſtraueris mentē illam excelsā, pro menſura tui luminis, cogita te partem habuiſse, haud quidem exiguam, illarum precum: & ſi quid boni à Chriſto in te eſt deriuatum, præcipuè fluxiſse à precibus magnæ Matris.

3 Quod legimus de multis Sanctis, eos poſt Domini viſitationes præcipuas, atq; extraordinarias conſolationes ſpiritus, cæleſtem quandam traduxiſse vitam, ita vt corporis neceſſitatibus non viderentur ſubiecti, & verbis quibuſdam ignitis mortales cæteros ad Dei amorem incenderent, id de B. Virgine longe nobilius ſentiendum eſt; eo tamen ſeruato decoro, quod ſupremæ omnium mulieri eſt tribuendum. Operatur videlicet magna diuinus amor, cum in humano pectore accenſus eſt.

MEDITATIO XXIX.

De ſpectaculo glorioſæ Aſcenſionis.

1 CErta Beata Mater de tempore diſceſsus è terris glorioſi filij, eiuſq; in Cœlum aſcenſionis, ſe comparabat quàm diligentiſſime, vt talem triumphum, ac pompam ſpectaret ijs animi ſenſibus, ac motibus, quibus celebraturus ea eſset Filius. Primum ergo volebat, eo loco maximè celebrari

brari

brari gloriam Diuinitatis à Filio, creatura omnium excellẽtiſſima, quatenus homo erat tot bonis cumulatus, vbi ſuam Deus curiam conſtituerat.deinde vehementiſſimè,expetebat, clarificari Filium apud Patrem claritate, quam habuit apud ipſum, priuſquam mundus fieret; tum fidem, ſpem, charitatem augeri diſcipulorum,& credentium omnium ſæculorum cupiebat, qui mente, & oculis contemplati eſsent myſteriũ: poſtremo deſiderabat aduocatum eſse,& mediatorem gratiſſimum apud Deum humanæ naturæ nomine;mittique ab eo cũ donis numero, atq; æſtimatione, vt ita loquar infinitus Spiritum ſanctum. Hiſce cogitationibus excitata, & accenſa magis in horas ſingulas expectabat, & exoptabat aſcenſum. Tu vide,quibus animum meditationibus inſtruas, cum magnæ adneniunt ſollennitates.

2 Interim dum illa felix adueniret dies cariſſimorũ præparabat animos, vt quiſq; capax erat, ſermones omnes de filio inſtituens, iungens ſermonibus incenſas preces. Vt verò vidit coactum cœtum, mediumq: Ieſum,vt Solem inter Sidera, & quemq; à Ieſu lumen & ignes mutuantem, ore lætiſſimo ad illum conuerſa; Fili, trahe nos tecum. Nec plura ore locuta eſt. animo tamen plurima. Diſce in præcipuis ſolennitatibus omne tuum ſtudium conferre, vt, qua fieri poteſt ratione, fratres, & proximos ad Dei amorem, & cæleſtium rerum deſiderium excites.

3 Abſoluerat Chriſtus concionem, dederatq; paucis mãdata ſingularia, cum Matri ſeparatim commendauit Eccleſiam: tum cunctis inſpectantibus ſublimis ferri,cæpit.Mater, cuius vita amor erat, purus ab omni fece mortalitatis;quæ in poſtremo complexu Filij cor ſibi ſuauiſſime à pectore auelli ſenſit, minimè è ſenſibus abalienata, ita mente attollebatur cum filio, vt anima tantum non deſtitueret corpus: deſtituiſſetq; penitus vi amoris, & ardentiſſimi deſiderij, atque attẽtiſſimæ contemplationis, ni nubes obiecta oculis, atque aſſiſtentes Angeli defixam adeo mentem reuocaſsent. Num fuerint ei aperti interiores oculi, vt curiam, & agmina videret ſanctarum animarum, & beatorum ſpirituum deducentium triumphatorem, & alternatim plaudentium, incertum ei eſse poterit, qui merita magnæ Matris, & priuilegia ſuperiora

non agnoscat. Si enim potuit momento temporis exhibere Dæmon oculis Christi imagines vniuersi orbis, quibus magnitudo, pulchritudoq; rerum omnium cerneretur: Si Deus maiore vi e sublimi loco Moysi oculis totam terram promissionis lustrandam, proposuit, potuit Christus opt. max. Sanctissimæ Matri vniuersam triumphi sui gloriam, & ea omnia, quæ illum cohonestabant & menti, & oculis obijcere visenda; &, vt cuiusque natura ferebat, sensibus cæteris percipienda. Hoc verò totum mysterium infinitatem habet, cui proportione respondit gaudium Matris, admiratio, ardor amoris; postremo honor Dei filio præstitus à Matre ipsa nomine humani generis, postquam is in throno ad dexteram Patris consedit. Vide, vt post gratulationem magnæ Matri exhibitã, gratiasq; actas de cura illorum, quos adoptauit apud crucẽ, ex ista contemplatione amor crescat cælestium bonorum, contemptusq; rerum terrenarum. Vide, quam gloriosum tibi deinceps sit futurum, si partem aliquam passionum Christi imitando, exprimas, cum illas in seipso ascendens Christus ita extulerit, vt præcipua signa in corpore glorioso conseruare voluerit.

Luc. 1. *Deu. 34.*

4 Læti discipuli reuersi sunt Hierusalem ex monte Olueti, sed mater longè lætior. Cuncti sermones erant de Saluatore amato: & mater illis quotidie secreti aliquid de eo enunciabat.

MEDITATIO XXX.

De receptione Spiritus sancti.

1 NVnquam visa est Virgo Mater tam humilis, tam intenta precibus, quam decem illis diebus, qui Christi Ascensionem sunt cõsequuti. Nimirum sciebat maximam plenitudinem Spiritus magnam requirere exinanitionem, maxima postulare desideria. Erat igitur in communi domo, tanquam ancilla omnium, filiũ semper recolens, qui se præbuerat omnium seruum. ipsius contemplationes erant de toto Filij itinerario, lumina reuocando, & affectus, quæ ipsa tota vita acceperat, & senserat: de obsequijs, & adoratione

Chri-

Christo exhibitis à Choris Angelorum, & Ciuium Beatorũ, de laudibus, & cultu sanctissimæ Trinitati à Filij humanitate tributis: deque ineffabilibus actibus, qui sine creaturarum respectu solis conueniunt Diuinis Personis. tot pulsabat pectoribus, quot erant tunc fideles in terris, quot erant futuri posterioribus sæculis, large vt susciperetur diuinus imber bene purgatis, & patentibus animis; voluntarius ille quidem, futurus tamen ad perfundendam Ecclesiam perpetuus. Rogabant Apostoli, discipulique, sibi vt orandi argumenta Mater sufficeret. quod illa simplici omnino, & modestissima ratione interdum præstabat. Tales erant excitationes beati illius cætus, præeunte Virgine, vigilare, orare, ieiunare, alterum alteri certatim inseruire.

2 Hora erat tertia diei Pentecostes, cum factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, qui repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperũt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Credi facilè potest, Sanctos illos fideles, totis decem diebus inusitato feruore Spiritus ita actos, vt puritas, lumen, charitas in eis augeretur in horas singulas, postremosque virtutum actus omnium perfectissimos coniunctim fuisse editos illo vestigio temporis, quo sanctus aduenit Spiritus. vt igitur materia congruis qualitatibus ad ignem disposita repente ita concipit flammam, vt tota ignescat: ita Apostoli optime antea præparati, tota mente, atq; anima diuini Spiritus recepere illapsum: diuinos, ac deiformes dixeris esse factos. Diuinus Spiritus, ex Salomone, sanctus est, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes, spiritus intelligibilis, ac mundus. Sanctum Spiritum descripsit ex effectibus, qui omnes cernebantur in Apostolis, paulo ante longe diuersis: qui omnes effectus, si mediteris attentè, symbolis continentur, quæ S. Lucas sua narratione compræhendit. Præparationes Sanctæ Matris pæne infinitis partibus superabant Apostolo-

Sap. 7.

rum

rum conatus. Cogita igitur menſuram donorum Mariæ tantum exceſsiſse Apoſtolorum partē, quanto Oceanus amplior eſt fluminibus. Reuoca nunc ad mentem dona Sācti Spiritus, quæ Iſaias commemorauit, fructus eiuſdē Spiritus ab Apoſtolo deſcriptos, Euangelicas beatitudines, & dona alia gratuita, quæ idem met numerat Apoſtolus: cogita poſt multiplicem plenitudinem, vt Maria ſe ipſam ſuperabat, nouā aliā, & ſuperexcellentem illi fuiſse additam, ſingula vt dona ad ſummum gaudium aſcenderent: & menti tuæ admirandū, ac venerandum obijcietur quoddam cœleſte prodigium, & ſacratiſſimū ſpectaculum. Hic eſt non exiguus fructus contemplationis, admiratio magnæ Matris; dabitur tamen locus gratulationi, amori, fiduciæ erga Dominum, influetq; aliquis radius intelligentiæ, cuius pretij ſit anima repleta Sancto Spiritu.

Iſai. 11. Gal. 5. Mat. 5. 1. Co. 12.

3 Apoſtoli iam pleni Spiritu ſancto foras ſeſe effundebāt ad lucrum animarum cœleſtes ſpirantes flammas, igneis loquentes linguis, ita vt multa hominū millia, vel in ipſis prædicationis exordijs à fide maxime auerſa, ad pœnitentiam traducerent. Maria, vt decebat mulierem, domi ſe continēs, qua poterat infinita propemodum vi ſpiritus, Deum exorabat, vt Apoſtolorum prædicatio fructuoſa eſset. hinc hominum omnis generis, ordiniſque plurima conuerſio. Quantum poteſt ad reducendas animas ſuo Creatori inſtrumentū ſolidis virtutibus, & copioſa gratia cum eo coniunctum, accedente præterea Beatæ Virginis impetratione, & fauore. Habes igitur in huius myſterij contemplatione, dona, & fructus.

MEDITATIO XXXI.

De geſtis ab aduentu Spiritus ſancti, vſque ad mortem.

1 NIhil poteſt de Beata Virgine cogitari nobilius, quàm voluiſse Chriſtum Dominum, Matrem ſuam plures annos poſt ſuum in cælum abitum ſupereſse in terris, vt loco ſuo naſcentem Eccleſiam aleret, & confirmaret, quod illi futurum

turum erat meritorum, & gloriæ supremum incrementum. Cogita igitur illam vita, moribus,humilitate, charitate, patientia, solicitudine, quantum mulieri fas erat, expressisse filium. Immorare in his diligenter, & videbis, beatam Matrem omnia omnibus factam esse: omnium propterea studia, & voluntates in eam exarsisse. præsentes quidem, semper illi hærere cupiebant, suspiciebant, venerabantur, ad eam se, tãquam ad oraculum recipiebant: præsentiam absentes auidissimè expetebant. Tibi,cum sit assidua consuetudo cum Maria ex horarijs precibus, sacrificio, Missæ,priuatis alijs,& publicis actionibus, etiam, atq; etiam vide, ne ex vsu quotidiano obstupescas.

2 Multa edisserebat mysteria Fidei principalibus Ecclesię, & rectoribus, quæ vberiore lumine in aduentu Spiritus sancti illa cognouerat: multa difficillima ad praxim,quæ primis illis Ecclesiæ temporibus, omnino turbulentis,& perplexis sæpè incidebant, enodabat: multas indicabat artes satoribus Euangelij, quibus in locis præcipuè sterilibus, messem facerent ampliorem: sed omnia hæc tanta cum moderatione, nullum vt docere, sed ab omnibus discere videretur. Roga illam, tibi vt Magistra esse velit in actionibus,quas ad homines excolendos dirigis.te vt præterea rationem doceat,qua & voluntate,& rè ipsa cum opus sit, omnibus subesse possis.

3 Erat præcipua illius cura, vt mærentes, vacillantes, lapsosque plurimos propter procellam persecutionis sæuissimã solaretur,confirmaret, erigeret: infirmabatur ipsa cum infirmis. & vrebatur cum ijs, qui scandalum patiebantur. Infidelibus non deerat, siue Hæbrei illi essent, siue Gentiles, qui eius fama exciti, aut humano spiritu, aut diuino impellente numine, illam videre, & præsentem alloqui cupiebant, quorum maximum numerum oratione, sermone, odore virtutũ, qui famam superabat,ad Christum conuertit.Roga Dominũ, vt ad illius imitationem nullam occasionem prętermittas bene merendi de proximis; talemque te palam exhibeas, vt qui te nouerint,pro temporis opportunitate,opera tua vti,se posse, confidant.

4 Præter hæc studia proximis impensa,erant priuatæ vitæ exercitationes angelicæ, oratio nunquam intermissa,eaque ar-

ardentiſſima; lectio, & meditatio ſanctarum ſcripturarum maiore ſemper cum illuſtratione mentis; communio frequẽtiſſima illi miniſtrata ab Apoſtolis, præcipueque à Ioanne, qua, ſupra totius naturæ captum, cæleſtis eius alebatur vita; viſitatio ſanctorum locorum, quæ ſuo ſanguine, aut inſignierat patiens filius, aut glorioſa præſentia decorauerat. hiſce actionibus addebant decus paupertas ſumma, quam ex ſuis partibus tibi ob oculos propones, & hilaritas modeſtiſſima; quæ maxime emicabat eo tempore, cum impeteretur iniurijs, & contumelijs eorum hominum, qui Chriſto ſemper fuerant infenſiſſimi. Terminabis hanc meditationem duplici colloquio, altero ad Sanctum Spiritum, quod Virginis animum tanta cum plenitudine gratiæ inhabitaret, altero, ad ipſam Virginem, tibi vt abundantiora impetret chariſmata Sancti Spiritus, quo eius virtutes imitari poſſis.

MEDITATIO XXXII.

De dormitione, & ſepultura Beatiſſimæ Virginis.

1 ERat iam ſatis amplificata, & confirmata Eccleſia perſecutionibus: cum in dies creſcẽtibus in pectore Virginis flammis Diuini amoris, rogabat ſæpe inuiſentes Angelos, vt deſiderium diſceſsus filio nunciarent: Nunciate dilecto meo, quia amore langueo: at vero identidem ipſimet filio: Fili, trahe me ad te: cupio diſsolui, & eſse tecum. Ergo certo die mittitur Gabriel Archangelus, qui diem, & horam diſceſsus Virgini renunciet. tum vero voce lætiſſima: Lætata ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus. de nũcio monet Filiolos, ſeq; ad diſceſsum pacatiſſimè inſtruit. Quid facit, quid ſentit bona conſcientia, cum de æterna vita cogitatur, aut agitur! Hic te puta videre, audire, odorari, ac cæteris ſenſibus percipere, quæ geruntur.

2 Interim diuino nutu conueniunt Apoſtoli, Chriſtique diſcipuli permulti, Eccleſiarumque rectores ex plurimis terræ plagis, quorum aſpectu mirificè lætata Mater: gratias, inquit, tibi ago, fili, qui mihi hanc coronã ante obitum legaueris, qui, me vberrimos Euangelij fructus cognoſcere volueris.

Procul

Procul ab ea dolor, & timor: Sed corporis viribus paulatim debilitatis ab æstu diuini amoris,& summa vi contemplationis cum transitus immineret,cælesti luce completum est cubiculum, protinusque adstitit Filius,Angelis comitantibus. Tu te ad talem præsentiam collige cum omni reuerentia , pioq; timore, purum exorans Spiritum, adesse vt animo possis , & quæ geruntur spectare.

3 Sine videret Sacer ille cœtus, siue non videret curiam cęlestem cum Principe, attentissimè faciē amantissimæ matris intuebatur.Verba,quæ tūc vicissim intercedebant,audies, tua etiam miscens cum internis gemitibus. Actus amoris cōtinuabantur vehementissimi, facies efflorescebat Beatissimæ Matris. Filius ergo ad Matrem : Veni Mater mea : iā hyems abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra: Veni coronaberis. Illa vicissim ad Filium: In manus tuas , Fili, commendo spiritum meum: tibi quoque,non terræ,trado corpus, meum, corpus, quod te genuit, portauit, & lactauit: quo dicto, in manus filij purissimum spiritum tradidit . Residebat prior illa lux,& odor præterea suauissimus est additus. Sacer dehinc cœtus in hymnos effusus est,solutis præ suauitate spiritus, & liquescentibus imbre lacrymarum prędulci , intimis præcordijs.

4 Anima in Cœlum abit delata à *filio* caussa honoris , & comitantibus Angelis, admissa *illico* ad conspectum,& fruitionem Diuinitatis,quod in proximo capite meditaberis.Curatur funus ab Apostolis, deferturq; in vallem Iosaphat , in hortum Getsemani,superne concinentibus Angelis, hominibus vero ex diuina scriptura, & impellente spiritu, choros, & modulos aptissimè formantibus; producta ad triduum harmonia ex terræ,ac cœli vocibus, quarum præcentor erat Spiritus sanctus. Rogabis Deiparam humillime, vt in hora tuæ mortis vna cum filio tibi adesse velit. Hæc vero tria capita contemplaberis applicando ad singula quinque sensus corporis, vt,in omnium primo,est notandum .

MEDITATIO XXXIII.

De Resurrectione, Assumptione,& Gloria B. Virginis.

1 ELapso triduo, cum Thomas superuenisset, doleretque tarditatem, ingenti actus desiderio Beatissimæ Ma-

tris, Apoſtoli aperto ſepulchro ad fratris ſolatium, ſola reperierunt lintea ſepulchralia, perfuſi odore ſuauiſſimo, qui afflabatur e monumento. Tum vero cognouere ſupremi illi Pontifices, reſurrexiſſe Mariam,& arcam ſanctificationis diuinæ translatam eſſe in Cælum, requiem ſuã. Hinc noui lætitiæ hymni Deo, & Matri decantati.

2 Anima Virginis beata reſumptum corpus euexit in cælum; ſic tamen, vt tanquam Regina Mater, inniteretur ſuper Filium dilectum ſuum: neq; enim fas erat, vt vlla pura creatura tantum illi obſequium exhiberet. Stupebãt quidem Angeli, ac iuſti beati omnes, ſuis quiq; vocibus aliquid ſingulare de Dei Matre concinentes. Dũm Cælos penetraret admirabatur nouas regiones, ac regna, in quibus elucent diuinæ perfectiones: Matrem filius æterno Patri obtulit. Hic verò longius immorandum, ea videlicet contemplando, quæ Chriſti humanitati cõueniunt, quæ tantæ Matri, quę Diuinis Perſonis: ex quibus omnibus ille fructus exiſtet, inter plures, vt terra omnino ſordeat.

3 Throno excelſiſſimo conſtituto ſupra omnes cælites ſupremæ omnium Imperatrici, ac Dei Matri, Filius, qua parte homo eſt, primus eam honorauit: pone ſequuti ſunt ordine omnes cæleſtes; qui gloriam illi omnem, vt homines; qui gloriæ accidentalis incrementum, vt Angeli, illi debere ſe profitentes, eumque ſinguli honorem illi deferentes, cui ſimilem in terris genus hominum habere non poteſt. Honoribus perſolutis, læta acclamauit. vniuerſa Curia Cæleſtis. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Benedicta tu ſuper omnes creaturas, & benedictus fructus ventris tui. Viciſſim Regina quid egerit erga ſingulos cæli Ciues, qua ſe humilitate vniuerſis ſubiecerit, quibus modeſtiæ, reuerentię, & charitatis officijs humanitatem Filij, ſingulaſq; diuinas perſonas coluerit, ac venerata ſit, prolixè, vt vnctio docuerit, contemplaberis, atq; hinc exardeſcet animus ad videndum reuelata facie, non amplius per ſpeciem, & in ænigmate, quid geratur in cælis.

4 Reſtant ea, quæ pertinent ad eſſentiam gloriæ, quæ lucis ſunt inacceſſibilis, quo pacto in Deum abſorpta ſit, quid videat, quatenus videatur, quid poſſideat, qua expleatur ſatie-

tietate, qua voluptate inebrietur? quæ rimaberis procul ex coniecturis, quod tanta plenitudine gratiæ, vel in ipsa conceptione, septuaginta duos annos Diuino obsequio se mancipauerit, Deo ipsi corporato, ministrans dimidiatæ vitæ spatijs absque vlla, vel leuissima, culpa, cum tot gratiæ magnis adminiculis, accessionibusq; permaximis. Concipies exquisita verba, vt dominus suggesserit, quibus tam excelsam Reginam adores, illi tot bona, tamque eximia gratuleris, eam toti orbi clarescere quotidie magis, ab eoque religiosius coli, vehementer exoptes; illi demum te totum addicas, eiusq; honestissimos mores imitari te velle, profitearis.

MEDITATIO XXXIV.

De prouidentia gloriosissima Domina erga Dei Ecclesiam.

1 SAncta Ecclesia in Secreta Missæ, quæ dicitur in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ ita precatur. Munera nostra, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio; quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Quamuis omnes Sancti homines, omnesq; Sancti Angeli apud Deũ intercedant pro fidelibus, qui militant in terris, atque etiam pro alijs prædestinatis ad vitam, nulli tamen sanctorum, qui regnant, tribuit Ecclesia ita ample hoc grande patrociniũ. Videlicet quia sentit, eius preces, & voluntatem efficacitate, amplitudine, charitate longe superare preces tum singulares, tum simul coniunctas omnium beatorum. Hic duo admiraberis; Primum, diuinum quiddam repræsentare Dominã; cũ enim Deus omnia cognoscat, & moderetur, nullam tamen confusionem ex tanta rerum infinitate patitur; ita etiam Domina toti Ecclesiæ orbi vniuerso præsidens, ac prouidens, à Dei tamen contemplatione non abstrahitur. Alterum, illius dignitatem, vel ex hac parte, esse prope infinitam, cum nihil supra naturam velit hominibus elargiri Deus, quod non trãseat per Mariam. Tota hæc meditatio circumscribetur admiratione, & reuerentia: nisi etiam locus sit lætitiæ, & gratulationi.

S. Ber. extre. ser. 3 in vig. Na. Dom. Et in serm. de Nat. Mariæ de aquæ ductu, non lõge à medio.

2 Cogita

2 Cogita secundo loco quam prompte, quàm benigne, vt intuetur in Verbo necessitates hominum, & supplicationes fidelium, singulis patrocinetur, & omniũ caussas agat. quod generale munus, & amplissimum in excellentem eius Sanctitatem referes, atque honorem Maternitatis: hinc delegationes Angelorum: hinc vehementes impulsus Prælatorum, ac Principum; hinc studia, & ardores Sacerdotum, & concionatorum; hinc curæ singulares, sollicitudinesque acriores priuatorum hominum, qui vel proxime incitant salutem animorum, vel ea amoliuntur, quæ impediunt.

3 Cogita, pietatis hunc sensum toti orbi Christiano ingeneratum, & inditum, vt quisque pro rerum statu aduerso, aut tranquillo Mariam inuocet, illi se credat, ad Redemptorem, ad Deum per eam ipsam accessum quærat. Hinc tot erecta templa muneribus, ac votis exornata: hinc tot susceptæ peregrinationes, tot supplicationes institutæ, totque sacri cõuentus, ac religiosi, qui voce, vita, factisq; clamant, Mariam esse mundi vitam. salutem, spem, reparatricem, mediatricem, cœli, ac terræ parentem, ac Dominam.

4 Cogita, quantus honor ex isto cultu, ac religionis officijs illi accedat; quibus splendoribus illius corona augeatur, qua vberiore lætitia illius compleatur pectus; quantopere sibi placeat Dei Filius de tãta amplificatione glorię suæ Matris. Tu ad extremum ex his omnibus post gratulationem, & gaudia de Matris immensa gloria, colliges, infinite te debere tantæ Matri, ac Dominæ, per quã in te à Domino Deo tuo, ac creatore, post Christum, bona innumera confluxerunt, futurumq; est deinceps, vt vberrime confluant: excitabis ardorem, vt pro concessa gratia, illius nomen, ac laudes omni loco, ac tempore quacunque ratione amplificare studeas: & talem, ac tantam Matrem videre exoptans ad summum tuæ gloriæ culmen, post Dei præsentiam, orationi finem impones, semel recitata salutatione Angelica, & Antiphona Salue Regina.

FINIS.

Mo-

MONITIO AD BIBLIOPOLAS.

Aduertant Bibliopolæ, numeros incisos ad pedes Imaginum ostendere ipsarum ordinem corrispondentem Italicis Relationibus; at numeros incisos ad caput earundem indicare ipsarum ordinem correspondentem Relationibus latinis. Nisi id obseruetur, errabitur fœde in his opusculis consuendis. Ad eundem item errorem effugiẽdum, iuuabunt maxime singuli Indices dictarum Imaginum, & Relationum, quæ certe cum debito, & correspondente ordine sunt efformatæ.

Hoc est

Auuiso alli Librari.

Auuertano i Librari, che li numeri scolpiti à piè delle Imagini mostrano l'ordine corrispõdente di esse alle Relationi volgari: ma li numeri scolpiti al capo delle medesime Imagini notano l'ordine corrispondente alle Relationi latine. Se ciò nõ si osserua, si farà grosso errore nel legare le presenti operette. Per isfuggire anche il detto errore giouerà molto ciascuna delle Tauole delle prefate Imagini, e Relationi, essendo esse formate à giusto ordine e colla douuta corrispondenza.

Index, & ordo Imaginum, & Relationum Latinarum.

La

Finis Indicis Imaginum, & Relationum.

INDEX

INDEX

Meditationum Vitæ Beatissimæ Virginis.

De

Finis Indicis Meditationum.

Agi-